



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio VII. De ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

QVÆSTIO VII.

De ministro Sacramenti
Pœnitentis.

DV BIVM I.

Vtrum solus sacerdos sit minister huius
Sacramenti?

NEGANT Lutherus, & huius temporis
hæretici, idque conformiter suis princi-
pijs. si enim ad effectum sacramentorum
solum requiratur specialis illa fides, per
quam aliquis sibi persuadet peccata sibi esse re-
missa, quæ fides possit excitari per quemcunque
denum applicetur Sacramentum, conficitur non
solum sacerdotem esse huius Sacramenti mini-
strum, eundem errorem de ministro antea tenuit
Wiclephus, ut patet ex Waldensi tomo 2. cap.
145. & colligitur ex bulla Martini Quinti sess. 45.
Concil. Constantiensis, ubi suspectus de hæresi
dicitur inter cetera interrogandus, vtrum credat,
quod Christianus ultra contritionem cordis habi-
ta copiam sacerdotis idonei, soli sacerdoti ex neces-
sitate salutis confiteri teneatur, & non laico, seu
laicis, quantumcunque bonis, & deuotis.

Sed certâ fide constat solum sacerdotem esse
ministrum huius Sacramenti, patet ex Florent.
decreto de Sacramentis, & ex Trident. sess. 14. cap.
10. ubi id expresse definitur contra Lutheranos,
idem docetur capite 6. eiusdem sess. idem docent
S. Leo epist. 92. ubi agens de hoc Sacramento ait:
*Sic diuina bonitatis præsidys ordinatis, ut indulgentia
Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri.*
Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio, & Hieron. in
caput 16. Matthæi in illa verba, *Et dabo tibi claves*
&c. ratio à priori est institutio Christi, qui, ut con-
stat ex traditione Ecclesiastica Ioannis 20. solis
Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus
dedit potestatem peccata remittendi.

Dices, Cyprianus lib. 3. epist. 17. concedit laps-
is in persecutione, ut in defectum sacerdotis pos-
sint in articulo mortis exhomologesim facere
apud Diaconum.

Resp. Cyprianum non agere de confessione sa-
cramentali, sed de eâ, quæ olim fieri solebat à pu-
blice pœnitentibus in ordine ad reconciliationem
in foro Ecclesiæ, quæ reconciliatio in defectum sa-
cerdotis committebatur Diacono. similiter aliqui
scholastici cum docent confessionem posse insti-
tui apud laicum in absentia sacerdotis, non agunt
de confessione sacramentali, sed de aliâ, quæ ad sui
humiliationem, vel ad consilium petendum fieri
potest laico.

Vtrum verò laicus tentans sacramentaliter ab-
soluere aliquam incurrat irregularitatem, commo-
dius traditur in materia de irregularitate.

DV BIVM II.

Vtrum quis sacerdos sit minister
huius Sacramenti?

AFFIRMANTE aliqui, quorum sententiam cen-
set probabilem Dur. dist. 19. q. 2.

Sed sententia negatiua est certa, quam commu-

niter tradunt Theologi, sumiturque ex Concil.
Flor. decreto de Sacramentis dicente: *Minister hu-*

*ius Sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absol-
uendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris; &
clarius ex Trid. sess. 14. cap. 7. docente, nullius esse
momenti absolutionem eam, quam sacerdos in
eum profert, in quem ordinariam aut subdelega-
tam non habet iurisdictionem, ubi docet ad abso-
lutionem requiri iurisdictionem, & indicat, seu
potius supponit huiusmodi iurisdictionem non
competere omnibus sacerdotibus: si enim omni-
bus competeret, & quidem iure diuino, frustra di-
ceretur nullius momenti esse absolutionem &c.
cum respectu pœnitentis rite dispositi nulla vi-
quam inefficax esse posset.*

Adde constare in Ecclesiâ non omnes sacerdotes
posse dici habere ordinariam iurisdictionem ra-
tione officij, constare etiam non omnes, qui carent
iurisdictione ordinariâ, habere iurisdictionem de-
legatam, seu ex commissione pastorum.

Porro huiusmodi iurisdictionem essentialiter
requiri ad valorem absolutionis optime colligitur
ex naturâ huius Sacramenti, quod est institutum
per modum iudicij, actus autem iudicialis, & sen-
tentia necessario requirit iurisdictionem in ferente
sententiam respectu eius in quem profertur.

Vtrum in articulo mortis omnes sacerdotes
possint absoluere, item an possint absoluere, quan-
do materia non est necessaria, infra dicitur.

Contra resolutionem potest obijci quod vnus-
quisque sacerdos in sua ordinatione accipiat pote-
statem remittendi peccata, ut patet ex formâ: *Accipe
Spiritus Sanctum, quorum remisisti peccata, remittentur
eis, quæ potestas datur illimitatè, & proinde vnus-
quisque sacerdos iure diuino habet potestatem re-
mittendi peccata respectu cuiuscunque, quæ pro-
inde potestas non potest efficaciter per Ecclesiam
impediri quin validdè exeat in actum, si pœnitens sit
dispositus, quantumuis sacerdos peccet, si contra
Ecclesiæ prohibitionem aliquem absoluat in hoc
Sacramento, vel absoluat à certis casibus. hæc ob-
iectio perit difficultatem, vnde competat sacerdoti
iurdictio in foro pœnitentiæ, itaque*

DV BIVM III.

Vnde sacerdotes habeant iurisdictionem
in foro pœnitentiæ?

EX argumento factò videtur probari, quod ha-
beant iure diuino: quia quod competit sacer-
doti vi suæ ordinationis, ei competit iure diuino,
sed vi suæ ordinationis ei competit potestas absol-
uendi, nec autem potestas intrinsecè dicit iurisdi-
ctionem, cum sit potestas ius dicendi, & ferendi
sententiam, quod non potest valdè exerceri sine
iurisdictione. Confractus absolutionis intrinsecè
est actus iudicialis, & sententia iudicis, igitur ad
sui valorem intrinsecè requirit iurisdictionem in
absolvente.

2. Nisi dicamus iurisdictionem iure diuino com-
petere sacerdoti in foro pœnitentiæ, non apparet
quomodo summus Pontifex possit sacramentaliter
absolui, cum nullus possit alteri dare iurisdictionem
respectu sui, nec Pontifex habeat superiorem in
terris à quo iurdictio dari possit.

3. Si iurdictio non detur à Deo, dicendum est Tertio.
illam dari ab Ecclesiâ, atque adeo absolvens pote-
rit dicere: *Ego te absoluo auctoritate Ecclesiæ, & hoc iu-
dicium potest dici Ecclesiasticum.*

Quarto,

4. Trid. sess. 14. cap. 5. dicit Christum de tetrīs ascensurum ad celos sacerdotes sui ipsius vicarios reliquisse, tanquam praesides, & iudices, ergo dedit illis iurisdictionem, cum nemo possit dici ab alio iudex constitutus, nisi ab eo iurisdictione accipiat.

Huius sententiae auctores varie se explicant. Primus dicendi modus.

Propter haec, & similia argumenta quibusdam videtur iurisdictionem quoad forum poenitentiae provenire sacerdoti iure diuino, qui tamen rem diuersimodè explicant. nam auctores qui censent quemlibet sacerdotem iure diuino posse absolvere, censent iurisdictionem non differre à caractere ordinis sacerdotalis, sed reipsa esse caracterem sacerdotalem per respectum ad Sacramentum poenitentiae, & proinde in ordinatione sacerdotis conferri ei completam iurisdictionem, quae absque ulteriori aliqua conditione possit validè exire in actum. quae sententia, ut patet ex dubio praecedenti, falsa est, nec potest sustineri, cum constet non posse quemlibet à quolibet absolui, & casus ita reservari in Ecclesia, ut non possit quilibet sacerdos validè ab illis absolvere.

Falsitatis arguitur.

24.

Conuenit ergo communiter inter Doctores ad absolutionem saltem mortalium nunquam explicatorum in hoc Sacramento ita requiri aliquid ex parte Ecclesiae, ut si illud desit, irrita sit futura absolutio, quo tamen non obstante

Secundus.

Aliqui censent potestatem iurisdictionis pro foro poenitentiae competere iure diuino, esseque ipsum caracterem sacerdotalem, nec quidquam tribui per Ecclesiam sacerdoti, quod se teneat ex parte causae efficientis, sed per eam solum applicari materiam, seu subiici personas, in quas sacerdos ius possit in hoc Sacramento dicere. tenet Angelus verbo confessio 3. nu. 4. Maior dist. 19. q. 1. in fine. Vasquez tomo 3. in 3. partem disp. 239. cap. 5. in fine, & tomo 4. q. 93. art. 1. dub. 2. nu. 25.

Angelus. Maior. Vasq.

Alij censent per ordinationem dari iurisdictionem in habitu; per Ecclesiam verò dari in actu, ita Nauar. cap. 4. summae num. 3.

Tertius modus. Nauar.

Alij censent iurisdictionem competere Episcopis, & pastoribus iure diuino: alijs verò concedi ab Ecclesia, indicat Petrus Soto lectiōe 5. de confessione.

Quartus. Petr. Soto.

Plerique distinguunt potestatem ordinis à potestate iurisdictionis, & hanc dicunt per Ecclesiam conferri, ita ut ipsa moralis potestas ius dicendi proveniat ab Ecclesia, quod intelligunt de quouis inferiore ipso summo Pontifice, quem constat suam potestatem habere immediatè à Christo. haec sententia videtur commodiorem loquendi modum usurpare. vnde Resp. &c.

Conclusio. Iurisdictione videtur concedi iure humano.

Dico iurdictio etiam pro foro poenitentiae videtur concedi iure humano, seu per Ecclesiam; requiritur quidem iure diuino iurdictio, & aliquis validè possit in hoc Sacramento absolvere, ut ex dictis patet: haec tamen iurisdictionem verius est ab Ecclesia concedi.

Probatum iuxta Concil. Flor. & Trid. solum duplex iurdictio in Ecclesia agnoscitur, scilicet ordinaria, & delegata; utraque autem recipitur ab Ecclesia, prior quidem ex iure, cum tribuitur officium: posterior verò ex superioris commissione.

2. Nisi sit quaestio de nomine, & æquivocatio in modo loquendi, qui dat alicui potestatem absolventi, debet censeri dare iurisdictionem, cum iurdictio non sit aliud, quam moralis potestas ius dicendi, & ferendi sententiam; atqui Ecclesia dat potestatem absolventi, ut patet ex communi modo loquendi in bullis Iulianorum: imò idem dicendum est etiam si dicamus Ecclesiam subiicere

Subiicere personas in re non

personas, in re enim nihil est aliud quam sacerdoti tribuere moralem potestatem ius dicendi tali personae

3. Ecclesia dicitur restringere potestatem sacerdotum, interdum eisdem omnem potestatem adimere, quae plano sensu designat ipsum principium morale, per quod minister constituitur potens ius dicere pendere ab Ecclesia.

4. Pastor non sacerdos potest suum parochianum alteri subiicere in ordine ad Sacramentum poenitentiae, ergo habet in illum iurisdictionem etiam in ordine ad forum poenitentiae: hanc tamen non potest dici aliunde habere, quam ab Ecclesia, ergo prior consequentia probatur, non potest alteri subiicere sibi non subditum, & eum, in quem nullam habet iurisdictionem: minor verò probatur, quia in casu posito non potest habere iurisdictionem iure diuino ratione characteris sacerdotalis, cum supponatur ipso carere: non potest ostendi ex alio capite, quod eam habeat iure diuino, quod si talis pastor habeat iurisdictionem iure humano, non est quod asseramus illam conferri iure diuino.

Ex dictis patet non esse differentiam constituentem inter Episcopos, & pastores ex vna parte, & eos, qui potestatem habent delegatam, ex altera, adde quod Episcopus vi suae ordinationis non habeat necessariò vllam iurisdictionem, cum possit dari Episcopus, qui nulli praesit Ecclesiae, pastor etiam officium recipiat ab Ecclesia, & proinde iurisdictionem.

Patet etiam quod si Nauarrus velit propriè loqui de iurisdictione, minis bene dicat iurisdictionem in habitu competere sacerdoti iure diuino; in actu autem concedi ab Ecclesia: quia si intelligat quod Ecclesia ita concedat iurisdictionem, ut sine illius concessione sacerdos non possit validè ferre sententiam, in re ipsa negat vllam iurisdictionem diuino iure sacerdoti competere. quid enim est aliud habere iurisdictionem in habitu, quam quantum est ex parte principij, & moralis potestatis validè posse absolvere? si ergo sine concessione Ecclesiae sacerdos non possit validè absolvere, dici nequit habere iurisdictionem in habitu. si tamen solum velit sacerdotem in sua ordinatione accipere quasi in radice iurisdictionem, seu constitui proximè capacem obtinendi iurisdictionem in foro poenitentiae, in re non videtur malè sentire: tamen minis propriè loquitur.

Patet: quod subiicere personam seu applicare materiam sacerdoti in hoc Sacramento reipsa non sit aliud, quam sacerdoti dare iurisdictionem in talem personam. quia cum nullus possit alteri subiicere in ordine ad absolutionem nisi iudici, non potest aliquis alteri subiicere, nisi is constituat iudex, cum haec sint correlativa.

Aduerte ex eo quod iurdictio sacerdotibus tribuatur ab Ecclesia, quae eam possit limitare, suspendere, auferre, nullum periculum animabus creati, quia Spiritus Sanctus qui regit Ecclesiam, & summum Pontificem, nunquam patietur eum omnino subtrahere iurisdictionem huic Sacramento necessariam.

Ad argumentum in fine superioris dubij propositum Resp. sacerdotibus dari quidem in sua ordinatione potestatem peccata remittendi, & sanctificandi fideles in hoc Sacramento, sed quam tum demum exercere poterunt, quando sufficienter fuerint praediti iurisdictione, quam iurisdictionem non accipiunt immediatè à Christo in sua ordina-

tione,

tionem, sed ab Ecclesia, sine qua iurisdictione nullum possunt valide absolueretur. vnde

Ad primum argumentum initio huius dubij propositum

Resp. sacerdoti non competere vi solius ordinationis potestatem absoluendi, sed virtutem sanctificandi per modum iudicii ubi accesserit iurisdictione. quo sensu Trident. sess. 14. cap. 6. docet sacerdotes per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere. ad confirmationem Resp. concedendo absolutionem esse intrinsecè actum iudiciale, & ad sui valorem requirere iurisdictionem in absolvente: negando tamen huiusmodi iurisdictionem concedi immediate à Christo.

Ad secundum Resp. negando assumptum, & dico secundum ultimam sententiam commodè posse explicari, quomodo summus pontifex possit sacramentaliter absolui. cum enim sit ovis Christi, potest in suum bonum alteri iurisdictionem respectu sui in hoc foro concedere, quemadmodum potest respectu aliorum. nam hæc iurisdictione favorabilis potest concedi ab eo, qui universalem habet iurisdictionem in ecclesia respectu cuiuscumque, qui est membrum Ecclesie, & ovis Christi, quæ conditio etiam in ipso pontifice reperitur.

Ad tertium Resp. similiter negando assumptum: nam iudicium ab aliquo principe institutum quoad formam, & alia, non dicitur inferioris, sed ipsius principis, quamvis iurisdictione necessaria ad tale iudicium exercendum conferatur ab inferiore, cui princeps id commiserit, v. g. erecto tribunali ab aliquo principe, etiam si is committat alteri, ut quibusdam personis iurisdictionem tribuat ad causas in eo terminandas: ij tamen non dicuntur ferre sententiam nomine eius, à quo immediate iurisdictionem accipiunt, sed nomine principis, & tribunal dicitur esse principis. in præsentia ergo dicendum quod licet Christus collationem iurisdictionis huic vel illi personæ faciendam Ecclesie commiserit, tribunal tamen pœnitentie non desinat esse divinum, & in quo sacerdos absoluat autoritate Dei, quod ex eo confirmatur, quod vis collativa gratiæ & operatiua sententiæ deriuatur immediate à Christo, quæ in hoc Sacramento est præcipua, & proinde sacerdos non debet dici absolueret auctoritate Ecclesie, sed Dei. pro quo

Notandum ad hoc, ut absolutio in Sacramento pœnitentie, & sententia sit efficax, duo esse necessaria: scilicet potestatem ordinis, & iurisdictionem. & hanc quidem requirit ut sententia sit legitima: aliam verò, ut sententia sit gratiæ operatiua & efficax circa remissionem peccatorum. vnde pastor nondum sacerdos non potest absolueret in hoc Sacramento, quamvis habeat iurisdictionem, quia scilicet non habet characterem, ratione cuius sententia illius possit esse gratiæ operatiua: simplex autem sacerdos, cui ab Ecclesia non est collata iurisdictione, non potest absolueret defectu prioris conditionis.

Ad quartum Resp. Concilium loco citato nihil aliud velle, quam Christum instituendo hoc Sacramentum, & tribunal pœnitentie, voluisse ut sacerdotes non nisi modo iudiciario peccata remitterent, atque adeo cum iurisdictione in peccatores: non tamen voluisse hanc iurisdictionem immediate concedi à Christo sacerdotibus, cum loco à nobis cit. satis indicet contrarium. nihil enim aliud vult Christus Ioan. 20. in illa sententia: Quo-

rum remisistis peccata, remittuntur eis &c. solum enim vult institueret tribunal, in quo causa peccatorum commissorum post baptismum possint terminari per eos, quibus legitima iurisdictione fuerit concessa, quam ibidem concessam singulis sacerdotibus nego, sed dico eo loco, atque adeo sacerdotibus in sua ordinatione immediate concedi solam potestatem sanctificandi, & reconciliandi, quæ possit valide exire in actum, ubi accesserit iurisdictione: ita tamen ut per ordinationem constituatur in eo gradus, in quo sint proxime capaces talis iurisdictionis, & nullus alius sit capax ad sententiam in hoc Sacramento valide ferendam. quia nullus carens characterem sacerdotali præditus est virtute operatiua in tali sententia.

Notandum dicta in hoc dubio non solum intelligenda respectu mortalium, sed etiam quoad venialia. quamvis enim, per se loquendo, nullus teneatur ea clauibus subicere: si tamen subiciantur, requirunt in absolvente iurisdictionem, quæ, ut patet ex dictis, non habetur iure diuino, saltem quoad suum ultimum complementum.

Sotus quidem dist. 18. qu. 4. artic. 2. §. 4. at vero, censet in confessione venialium non requiri iurisdictionem, sed contrarium patet ex dictis, & ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. 6. & 7. ex quibus constat hoc Sacramentum esse aliquod iudicium & absolutionem, esse instar actus iudicialis, igitur sacerdotes in hoc Sacramento est iudex, & proinde quæcumque materia ei subiciatur, requirit iurisdictionem, ut eius sententia sit valida. hanc autem iurisdictionem non habere ex sua ordinatione saltem expeditam (ut hic omittam varios modos sentiendi, de quibus initio huius dubij egimus) vel ex eo patet, quod absolutio etiam collata respectu venialium à nominatim excommunicato sit nulla propter Ecclesie prohibitionem, quæ impeditur exercere actus iurisdictionis cum eorundem actuum irritatione. quod fieri non posset, si quis sacerdos haberet iure diuino expeditam iurisdictionem respectu venialium.

Quod dicimus de venialibus, dicendum etiam de quibusvis peccatis in mortis articulo, pro quo etiam articulo requirit iurisdictionem in absolvente patet ex dictis, & ex Trident. sess. cit. cap. 7. ex quo etiam capite patet hanc iurisdictionem non competere sacerdotibus iure diuino, (quamvis plures pro hoc articulo, contrarium sentiant) nam Concilium docet semper in Ecclesia custoditum, ut in articulo mortis nulla sit reservatio &c. iudicans quod proveniat ex concessione Ecclesie, quod etiam in eo articulo unusquisque sacerdos possit absolueret.

Constat, quia varij dubitant num sacerdos hæreticus possit in eo articulo valide absolueret, & licet alij asserant posse: censent tamen posse per Ecclesiam impediri, ne id valide faciat. neque ex eo quod iurisdictione etiam eo casu à Ecclesia concessione pendeat, merito timeri potest vllum animarum periculum. quia, ut ea hætenus non defuit in iurisdictione concedenda, ita Spiritus Sanctus, qui eam gubernat, non patietur illam vnquam deesse cum animarum detrimento.

Dices ab ipso initio Ecclesie unusquisque sacerdos potuit quemcumque in mortis articulo constitutum absolueret, igitur signum est id ei iure diuino competere.

Resp. negando consequentiam: solum enim sequitur eam consuetudinem ex Apostolica traditione procedere.

Explicatur locus. Ioan. 20.

28.

Sotus refellitur.

Etiam pro mortis articulo requiritur iurisdictione in absolvente.

Obiectio.

Resp.

DVBIVM IV.

Quinam habeant iurisdictionem ordinariam in foro penitentiae?

29.

Conclusio.

RESPONDEO breuiter eos omnes, qui ex vi proprii officij, & muneris habent curam animarum, ac in primis Summus Pontifex habet ordinariam iurisdictionem in hoc foro in totam Ecclesiam, idque iure diuino, cum primum est electus. 2. eandem habent Episcopi (iure Ecclesiastico) respectu suorum subditorum, quam habent statim à confirmatione etiam ante consecrationem. 3. eandem habent parochi respectu suorum parochianorum. his adiunguntur legati à latere, penitentiarij Pontificis & Episcoporum, item Episcoporum vicarij, Nuntij Apostolici respectu populorum suae legationis, Decanus Capituli respectu illius, superiores etiam locales ordinum, Vicarius perpetuus parochi, nam is habetur tanquam ordinarius pastor, imò vicarius temporalis, qui demortuo pastore solet constitui, dum de alio pastore provideatur, quia talis in toto officio pastoris succedit, & ad id ad tempus deputatur, Capitulum sede vacante, Abbas habens iurisdictionem Episcopalem in saeculares. adde Archiepiscopum respectu populorum suorum suffraganeorum dum visitat. videri potest capitulum vltimum de censibus in sexto, extra casum visitationis non habet.

30.

Aduerte 1. iurisdictionem Episcoporum, & aliorum non tam restringi loco, quam personis. cum hoc forum solum requirat iurisdictionem in personam. & proinde qui in hoc foro habet iurisdictionem in aliquam personam, potest eam vbique absolvere extra diocesim, parochiam, cum hoc iudicium nullam externam solemnitatem requirat vel externum strepitum, & proinde non necessarium sit regulandum iuxta modum externorum iudiciorum, respectu quorum turbaretur gubernatio, si quilibet superior suum subditum posset vbilibet iudicare in foro contentioso.

31.

Acquiritur haec iurisdictione ratione habitationis.

Aduerte 2. Episcopum, vel parochum non solum ratione domicilij hanc iurisdictionem in alium acquirere, sed etiam ratione habitationis, vt communius Doctores. vnde qui censetur alicubi habere solam habitationem, potest pastori loci confiteri etiam ad praecceptum implendum, vt studiosi vniuersitatum, qui possunt confiteri pastori domicilij, vel habitationis, tanquam ordinariam in se habentibus quoad hoc forum iurisdictionem.

Aduerte 3. omnem eum, qui habet iurisdictionem ordinariam, posse alterum delegare iuxta modum suae iurisdictionis, qui proinde iuxta modum suae delegationis potest absolvere subditum delegantis extra eius territorium.

Nō acquiritur ratio ne delicti certo loco commissi.

Aduerte 4. iurisdictionem in hoc foro non acquiri in aliquem ratione delicti certo loco commissi, quia confessio diuidi non potest, & proinde non debet iurdictio acquiri ratione loci, in quo delictum est perpetratum.

DVBIVM V.

Quinam habeant potestatem delegatam?

32.

Ad delegationem requiritur

RESPONDEO omnes eos quibus ab aliquo ordinariam potestatem habente est legitime concessa, siue expresse concedatur, siue tacite, cum ve-

ro haec concessio fiat homini ab homine; homines autem per signa externa inter se conuersentur, & sibi inuicem communicent, vt quis tanquam delegatus possit absolvere, requiritur aliquod externum, per quod exterius iudicari possit hanc facultatem esse concessam.

Summus Pontifex potest aliquem delegare pro tota Ecclesia, etiam repugnantibus Episcopis & Parochis, cum eius potestas ab his minime pendeat, & his etiam inuitis non tantum valide, sed etiam licite ea vt possit quando ita iudicatur expedire.

Confir. ab experientia, quā constat varios auctoritate Pontificum à iurisdictione Episcoporum, vel Parochorum esse exemptos, possunt etiam Episcopi delegare pro tota diocesi, etiam repugnantibus parochis: hi tamen non possunt repugnante Episcopo, vel summo Pontifice, quemadmodum nec possunt Episcopi eodem Pontifice repugnante, cum inferiores habeant potestatem delegandi cum subordinatione ad superiores, quibus in suo munere subiiciuntur. vnde est nulla, & irrita delegatio inferioris, facta repugnante superiore, & tali deputationi resistente, & per consequens actus ex ea exercitus est inualidus. Dico resistente, quia si solum ostendat se rem minus probare, non tamen sufficienter ostendat se irritare delegationem inferioris habentis ordinariam iurisdictionem, delegatio subsistit, cum non eo ipso irritentur actus inferioris operantis ex potestate sua ordinaria, quod res superiori minus placeat.

Aduerte 1. potestatem delegatam in hoc differre ab ordinaria, quod haec non possit pro arbitrio Episcopi auferri, sed solum ex causa urgente, quia competit à iure ratione officij: delegata vero possit auferri, pro nudo concedentis arbitrio, quia non est annexa officio, nec per se habet firmam radicem, & quidem ea, quae conceditur ad certum tempus vel ad certum actum, iis transactis expirat. Ea tamen, quae data est indefinitè, non expirat morte concedentis, vel si is priuatur officio. quamuis enim eo sensu dicatur pendere à voluntate concedentis, quod concedens possit eam auferre. non tamen pendet eo sensu, quasi continuò pendeat à positio consensu concedentis. ratio est, quod huiusmodi delegatio potius aestimanda sit fauor, & gratia respectu eius, cui fit, quam nuda concessio iurisdictionis. vnde de illa non est iudicandum sicut de delegatione iurisdictionis in foro contentioso, sed sicut de gratia, quae non solet expirare per mortem concedentis.

Vnde sequitur, quod facultas absolute data, nec reuocata à concedente perseueret donec reuocetur per successorem. videri potest Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 28. num. 72. vbi fusè id tractat, intelligitque etiam de eo, cui à Parocho facta est delegatio num. 75. & proinde is qui habuit facultatem à Parocho audiendi confessiones parochianorum illius, potest eas excipere etiam mortuo Parocho.

Idem iudicium sit de gratia facta alicui eligendi confessarium, quae sufficiens est; vt etiam post mortem concedentis eligi possit. quia eo casu potestas in radice data est ante mortem concedentis.

Notandus est diligenter modus concessionis. si enim in concessione dicatur donec reuocauero, facultas per mortem concedentis non expirat: quia in concessione requirebatur actus positius voluntatis ad hoc, vt gratia expiraret, qui actus per mortem praecise non interuenit. si vero dicatur quamdiu mihi visum fuerit, vel vsque ad meum bene-

placitum,

placitum, per mortem expirat, quia beneplacitum non censetur post mortem durare, seu concedens non potest dici perseverare in sua voluntate. videri potest Sanchez disp. cit. num. 49. 64. 72. 77. 79. Henriquez lib. 7. qui est de indulgentiis cap. 21. num. 6. Suarez disp. 26. sect. 3. num. 5. & sequentibus, si potestas sit alicui delegata ratione officij, transiit ad successorem in officio.

Aduerte 2. eum, qui solum habet potestatem delegatam excipiendo confessiones, non posse eam subdelegare, cum sint diuersae potestates, quarum posterior non continetur in priore, & priore concessa non censetur eo ipso concedi posterior. & hactenus de potestate delegata expressè concessa.

Eadem potestas censetur tacite concedi, cum habens ordinariam potestatem aduertit sacerdotem excipientem confessiones in sua parochia &c. nec contradicit, cum facile possit scire concurre non posse aliunde confessiones excipere, & simul possit facile contradicere. nam, vt habet regula iuris in sexto, qui tacet, consentire videtur. hic tamen modus non videtur facile usurpandus, quia conditiones requisitae non possunt facile innotescere. 2. eadem potestas habetur, quando iuxta aliquam probabilem Doctorum sententiam aliquis iudicatur habere sufficientem iurisdictionem, siue quia suppetunt probabilia argumenta, siue quia iura probabiliter hoc modo explicantur. nam tali casu Pontifex censetur tacite concedere iurisdictionem, ne innumeræ animæ illaqueentur.

3. Qui bonâ fide absoluit ex consuetudine, vel prescriptione, censetur habere iurisdictionem, tum quia hæc sunt indicia iurisdictionis aliquando concessæ, tum quia eo casu etiam interuenit tacitus Pontificis consensus.

4. Quando excommunicatus, qui aliâs habebat iurisdictionem, toleratur, censetur eidem relinqui iurisdictionis usus expeditus in bonum aliorum, qui cum eodem possunt conuersari.

5. Quando intercedit error communis, vt ignorantia reuocata potestatis alicui delegatæ, is valide absoluit, idem dicitur quando intercedit communis ignorantia, quod aliquis amiserit beneficium, ratione cuius competit iurisdicchio, vel quod illud non valide acquisierit propter occultum aliquem suum defectum, vel conferentis beneficium. nam licet eo casu careat iurisdictione per modum habitus, tamen in bonum animarum Pontifex censetur assistere ad singulos actus valide exercendos, eique dare actualem iurisdictionem propter titulum coloratum iunctâ communi ignorantia, cum probabilis sententia doceat actus eo casu in utroque foro valere, quod potissimum de foro pœnitentia dicendum, ne illaqueentur innumeri, quorum non est examinare, an adhuc duret commissio, an beneficium sit legitime acquisitum &c. quod maxime verum est, si pœnitens ignoret talem, carere iurisdictione.

Petes 1. an ad valide absolvendum sufficiat rati habitio de futuro?

Resp. negatiue: quia talis rati habitio non dat iurisdictionem pro eo tempore, quo exercetur hoc iudicium: quæ tamen tunc necessaria est in absolvente.

Confr. si daret iurisdictionem, absolutio esset valida, quantumcumque superior resciscens repugnaret, nec eam ratum haberet, quod aperte falsum est. cum ergo non sit potestas in absolvente, quando ponitur forma, Sacramentum est nullum, cum forma ad sui valorem requiratur de presenti iurisdictionem in absolvente, nec sufficiat eam potestatem concedi, quando non est forma.

Dices rati habitioem retrahit, & mandato non est dubium comparari vt habet regula iuris in 6.

Resp. regulam solum habere locum in his, quæ à futuro consensu possunt dependere, & vim, ac robur accipere: non verò in Sacramento, in quo futurus consensus non dat presentem iurisdictionem, quando eius substantia ponitur: quæ tamen pro eo tempore requiritur.

Petes 2. an quivis sacerdos habeat facultatem absolvendi à venialibus, vel etiam à mortalibus, à quibus homo fuit legitime absolutus?

Resp. affirmatiue. suppono ex dictis dubio 3. vt quis etiam ab his possit absolueret, requiri iurisdictionem, & hanc iure humano concedi: hoc supposito ratio responsionis est, quod Ecclesia concedat hanc iurisdictionem respectu materiæ non necessariæ, ita interpretante usu, & consuetudine. vnde cum hæc potestas proveniat saltem ex tacitâ Pontificis concessione, Episcopus non potest eam sacerdoti adimere.

Aduerte id videri intelligendum de ijs, qui non sunt per Ecclesiam degradati, vel nominatim excommunicati, vel nominatim ab officio suspensi, hi enim ex sensu communi Doctorum nihil videntur posse in hoc foro pœnitentia extra articulum mortis.

Petes 3. an quilibet sacerdos habeat potestatem delegatam in mortis articulo?

Resp. affirmatiue. quod tenent Doctores ex cap. *pastoralis*, de officio ordinarij, & ex Trid. sess. 14. cap. 7. dicente: *In Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reservatio in articulo mortis, atque adeo omnes sacerdotes quolibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolueret possunt.* idque fuit necessarium, vt perfectius animarum saluti in tantâ necessitate consulere.

Dubitari potest, num hæc potestas competat etiam hæreticis, & schismaticis: negat Sotus dist. 18. q. 4. art. 4. Nauarr. cap. 26. num. 26. saltem de hæreticis, quidam alij addunt etiam negari nominatim excommunicatis, & ab officio suspensis.

Verum communis Doctorum sententia post Trid. censent hanc facultatem omnibus omnino sacerdotibus competere, quod omnino verius est. 1. quia particula, *omnes*, hunc sensum recipit, & proinde in eâ amplitudine potest intelligi.

Confirm. per particulam, *quolibet*, & *quibusvis*, quilibet fideles possunt absolui ab omnibus prorsus peccatis, ergo similiter per particulam, *omnes*, quilibet sacerdos nullo excepto potest absolueret. 2. id aliquo modo postulat motum Concilij, vt scilicet animarum saluti in tali necessitate consulatur, Ecclesia ergo voluit in eo casu summum favorem fidelibus præstare, & concedere iurisdictionem omnibus, qui ex suo gradu illius sunt capaces, quales sunt omnes sacerdotes.

Quæri tamen potest num ita quivis sacerdos possit absolueret, vt quilibet possit accipi presente Parocho, vel alio legitimam habente potestatem? Videtur. num. 156. Nauarr. supra. Henriquez lib. 6. cap. 11. num. 4. & 6. insinuant non posse, sed ordinem servandum inter eos qui possunt haberi, quod aperte tradit Suarez disp. 26. sect. 4. num. 4. docens eum ordinem servandum, vt prius sumatur proprius pastor, vel alius habens potestatem delegatam, si possit haberi, nec sit censurâ irretitus, 2. approbatus non habens iurisdictionem, 3. non approbatus,

K k k 4 probatus,

probat, 4. catholicus nominatim excommunicatus &c. vltimò hæreticus, vel schismaticus. quod etiam docet Vasquez q. 93. art. 1. dub. 4. num. 19. Sanchez lib. 2. in decalogum cap. 13. num. 7. qui plures citat, colligi etiam potest ex ijs, quæ tradit Auila tractatu de censuris parte 2. cap. 6. disp. 3. dubio 1. conclusione 4. & alij, quia præsentibus prioribus, & non recusantibus excipere confessiones, nulla est necessitas accipiendi posteriores, quæ necessitas est causa, ob quam in eo casu cuiuslibet sacerdoti detur facultas absoluendi.

SA.

Ut concessio vim suam obtineat, non requiritur ut motuum legislatoris in singulis casibus inueniatur.

Sa tamen verbo *absolutio* num. 4. censet nullum ordinem seruandum, cuius sententia, speculatiue loquendo, non videtur improbabilis, pro quâ plures citat Sanchez supra num. 6. eò quòd Concilium nullum ordinem constituat, & quia vult in eo articulo amplissimum fauorem præstare fidelibus. nec obstat quòd in circumstantijs relatis non sit necessitas respectu posteriorum, quia vt confessio vim suam obtineat, non requiritur ut motuum legislatoris in singulis casibus inueniatur, sed sufficit quòd interdum possit inueniri, quia non restringit concessionem ad casus particulares, quibus necessitas reipsa inueniatur, sed generaliter concedit, quia necessitas interdum subesse potest, quamuis autem, vt dixi, speculatiue id non videatur improbabile; non tamen iudico in praxi à priori sententiâ recedendum. videri possunt dicta de Sacramentis in genere q. 64. art. 6. dub. 2. circa 1. conclusionem, idem proportionem dicendum si sit præsens aliquis, qui aliàs potest absolvere à censurâ.

41.

Aduerte 1. si quis bonâ fide procedat, non esse magnum scrupulum faciendum, & quando non adest proprius pastor &c. non esse anxietate discurrendum, an facile haberi possit, sed ægrotum, læsum &c. posse confiteri ei, quem habet obuium, & si inchoata confessione apud eum, qui aliàs non habebat potestatem superueniat aliquis habens potestatem, pœnitentem non teneri priorem relinquere, sed posse pergere, quia in tali circumstantia confessorius indubiè habet facultatem, eum pœnitens non teneatur idem bis confiteri, nec propter alterius aduentum debeat confessionem dimidiare recensendo pastori &c. id quod nondum in confessione aperuerat. si tamen affectus esset censurâ, deberet prius absolui ab habente potestatem extra mortis articulum, vt indicatur cap. eos, qui, de sententia excommunicationis in 6. videri potest Sanchez cap. cit. num. 14. & 15.

42.

In necessitate potest peti Sacramentum à non parato licet is putetur peccaturus.

Aduerte 2. in ea necessitate Sacramentum posse peti à non parato, etiam si putetur peccaturus, scilicet quando deest alius, nam potest actum exercere absque peccato, & urget necessitas talem actum petendi, propter quam pœnitens non censetur confessorium ad peccatum inducere, vel eius peccato cooperari.

Imò quando desunt alij, pœnitens non tantum potest, sed etiam debet petere hoc Sacramentum ab excommunicato, imò hæretico, si non sit periculum scandali, peruersionis &c. quia cum communior sententia teneat eum posse absolvere, vt constitutus in articulo mortis suæ saluti consulat, & vt præcepto confessionis satisfaciatur, tenetur tali confiteri.

In tali articulo sacerdos potest absolvere ab omni casu quantumvis aliàs reſeruat, vt patet ex Conc. Trid. cap. 7. citato, & ita quidem, vt pœnitens non teneatur postmodum superiorem adire, quia, vt Concilium loco cit. in mortis articulo

nulla est reſeruatio. iuxta varios solum potest absolvere in absentia eius, cui casus aliàs reſeruat, tenet Vasquez supra num. 18. & quidam alij.

Potest etiam absolvere à quâvis censurâ: si tamen censura fuerit reſeruatâ superiori, quo casu euadat is qui fuit absolutus, debet per se, vel per alium coram superiore comparere, vt eius mandatis obediatur, vt censent communiter Doctores ex capitulo eos qui, de sententia excommunicationis in 6. alioquin ipso iure reincident in censuram.

Petes 4. an dicta de articulo mortis etiam intelligantur de constitutis in mortis periculo? v. g. de milite inturo periculofum confictum, de ingressu in periculofam nauigationem, &c. aliqui negant, sed probabilius affirmant plures, quod potest colligi ex cap. eos qui cit. vbi articulus mortis, & periculum pro iisdem sumuntur. addi potest quòd in tali periculo preceptum confessionis obliget, & sit summa necessitas.

Confirm. quia si in similibus articulis mortis deberet præcisè expectari, multi cum detrimento salutis deberent carere beneficio absolutionis, igitur fauor Ecclesiæ debet etiam de his intelligi, sub his intelliguntur perpetuò tiremibus addit, secundum Sa supra id tamen negat Sanchez 3. cap. cit. num. 4.

D V B I U M V I.

Utrum religiosi, qui ex indultis Pontificum possunt confessiones audire, id possint absque licentia parochorum, & an eis confessi teneantur suis parochijs confiteri?

Q VAMVIS hæc quæstio ex dictis facile decidi possit: quia tamen olim non desuerunt, qui eâ in re minus prudenter sunt locuti, peculiariter est pertractanda.

Quidam Ioannes de Poliaco, vt refertur extrauaganti, *vas electionis*, inter communes, de hæreticis, asseruit confellos fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones teneri eadem peccata paracho iterum confiteri. 2. Papam in eo dispensare non posse, stantè cap. omnis ritus, que sexus. 3. non posse alâ conditione dare licentiam audiendi confessiones. quæ omnia tanquam erronea damnantur à Ioanne vigesimo secundo, extrauaganti citata. vnde.

Dico 1. certum est Pontificem ita posse concedere facultatem audiendi confessiones, vt pœnitens confitens eam habenti satisfaciatur præcepto Ecclesiastico, neque postmodum teneatur eadem peccata confiteri paracho.

Probatur ex eo quòd Pontifex vniuersalissimam in Ecclesiam habeat potestatem, independentem ab inferioribus pastoribus, ergo hanc potestatem potest concedere.

Confir. 1. certum est confellum Pontifici, vel Episcopo ita satisfaciatur præcepto, vt non teneatur eadem peccata confiteri paracho, ergo etiam certum esse debet Pontificem, vel Episcopum posse alteri eandem potestatem delegare, cum hi non minus possint delegare suam potestatem, quam pastor communiter acceptus, neque eâ de re vllas possit rationabiliter dubitare.

Confir. 2. qui ex licentiâ Pontificis potest confessorium eligere, ita satisfaciatur præcepto, vt non teneatur.

neatur rursus eadem peccata clauibus subijcere; non est autem ratio, cur non etiam satisfaciatis, qui confiteretur habenti potestatem confessiones excipiendi.

46. *Conclus. 2.* Dico 2. Pontifices concesserunt reipsa facultatem modo à nobis explicato, atque adeo confessi religiosi habentibus prædictam facultatem non tenentur parochis eadem peccata confiteri. patet ex extrauaganti citata, ubi id statuitur, similiter ex extrau. inter cunctas, de priuilegijs, ubi Benedictus vndecimus ait: *Ne sequatur absurdum, ut peccata semel remissa aliquis confiteri teneatur, & liberatus debitor ad soluendum remaneat obligatus*; ratio est quod aliquin concessio Pontificum esset inutilis.

47. *Obiectio 1.* Confirmo, quando parochus hanc licentiam tribuit, ita censetur eam dare, ut nullum onus remaneat, ergo etiam censendum est Pontificem ita eam tribuere.

Obiectio 2. Dices 1. cap. omnis *uiriusque* sexus, de pœnitentijs, & remissionibus statuitur quod aliquis prius licentiam obtineat à proprio sacerdote, quam alieno confiteatur.

Resp. tales habere hanc licentiam; nam, ut supra q. 3. dub. 7. diximus, per proprium sacerdotem non solum intelligitur pastor communiter acceptus, sed omnis habens ordinariam potestatem in foro pœnitentie.

Confirmo, qui confiteretur Episcopo, omnium iudicio censetur satisfecisse præcepto Ecclesiastico illius capituli, *omnis uiriusque*, ergo etiam Episcopus intelligitur nomine proprii sacerdotis, ergo quisquis confiteretur sacerdoti habenti ab eo potestatem, confiteretur obtenta licentiâ à proprio sacerdote, quæ longè potiori iure sunt intelligenda de eo, qui confiteretur summo Pontifici, vel habenti ab eo potestatem delegatam.

44. *Extrau. Inter cunctas.* Adde quod licet per proprium sacerdotem intelligere pastoralem, prout vulgo sumitur; ita tamen non debeat intelligi cum exclusionem superioris in eodem foro, alioquin sequeretur nullum posse confiteri proprio Episcopo, vel etiam Pontifici siue licentiâ proprii pastoris, quod est manifestè falsum, si ergo pastor eam licentiam possit concedere, à fortiori eam potest concedere Episcopus, vel Pontifex; cum ergo reipsa concesserit, dicendum omnem eum, qui confessus est habenti huiusmodi facultatem, satisfecisse præcepto cap. *omnis uiriusque* sexus.

45. *Concl. 1.* Ex quibus patet Pontificem concedendo hanc facultatem non dispensare in statuto cap. cit. sed maximè conformiter illi capitulo facere.

48. *Obiectio 2.* Dices 2. hæc priuilegia non debent censi concessa cum præiudicio tertij, seu pastorem, cum priuilegia sint odiosa, & proinde, quantum fieri potest, restringenda.

Resp. 1. nullo modo debere censi concessa in præiudicium: nam, ut ostensum est, pastor strictè sumptus non habet ius, ut parochianus necessariò ei confiteatur, cum possit confiteri Episcopo, vel etiam summo Pontifici, ergo nullum sit præiudicium pastori, si Episcopus per se valens confessiones excipere, alium sibi substituatur, similiter & Pontifex.

Resp. 2. in re nullum posse censi præiudicium, sed potius leuamen, & fauorem pastorem.

Resp. 3. ut esset in præiudicium, priuilegium debere modo relato explicari, cum illud præiudicium non sit per accidens coniunctum priuilegio, sed in ipsomet absolute concessio contineatur. esse autem absolute concessum constat tum ex proprietate

verbi, tum ex ratione Pontificum. addo etiam quod priuilegium sit primariò concessum in fauorem ordinum, & in commodum animarum & proinde de eo sit iudicandum sicut de fauore, atque adeo, quantum proprietates verborum patitur, latè explicandum.

49. *Obiectio 3.* Dices 3. extrau. *uices*, inter communes, Sixtus quartus statuit quod mendicantes desistant prædicare, quod parochiani non sint obligati saltem in Paschate proprio confiteri sacerdoti, quia de iure tenetur parochianus saltem in Paschate proprio confiteri sacerdoti.

Resp. in illa extrauagante idem dici quod in cap. *omnis uiriusque*, quantum ad rem, & ad præsens institutum pertinet, & proinde in re nihil concludere contra priuilegia mendicantium, qui excipiunt confessiones ex legitimâ deputatione superiorum.

Dico in re: quia verisimile est aliquos mendicantes liberius, & minùs prudenter prædicasse parochianos non teneri confiteri proprio sacerdoti, ut colligi potest ex prædicta extrau. quod sanè ita nudè dictum minùs bene sonat, & proinde Pontificem ad concordiam ineundam prohibuisse, ne in posterum ita prædicarent.

50. *Obiectio 4.* Dices 4. Martinus Quintus extrau. *ad vberes*, quam refert Sotus dist. 18. q. 4. art. 3. §. in contrarium, statuit ut confessi religiosi saltem semel in anno suis pastoribus confiteantur, varij ad hanc extrauagantem diuersimodè respondent, quorum responsionibus omis.

Resp. eam nunquam fuisse vsu receptam.

Peti verò potest, an religiosi habentes prædictam facultatem possint audire alios religiosos, inuitis eorum prælatis.

Resp. præcisè vi priuilegij terminis generalibus concessi non posse. ita statuit extrau. *inter cunctas* cit. & tenet Suarez disp. 25. sect. 1. num. 12. in fine idque postulat conueniens ordo, & institutio religionis, ut scilicet religiosi maiorem hac in parte habeant dependentiam à suis prælatis regularibus, quam seculares à pastoribus.

Hinc sequitur, quod prælatus concedens generaliter, vel specialiter suo subdito, ut possit alteri confiteri etiam religioso alterius ordinis, possit concessionem restringere ad hos, vel illos casus, & eum non subijcere, si habeat casus reseruat.

Dixi, ex vi priuilegij terminis generalibus concessi, quia si quibus priuilegium sit concessum respectu religiosorum, possunt eos absolueri iuxta modum priuilegij.

DVBIVM VII.

Quinam possint eligere confessarium?

52. *Q*UÆSTIO non intelligitur de summo Pontifice, quem constat posse confessarium eligere, cum neque iure diuino subdatur ulli in particulari, neque iure humano subdi possit. quoad alios.

Dicendum varios habere potestatem confessarium eligendi.

Primò Episcopi ex iure possunt confessarium eligere, ut patet ex cap. ultimo de pœnitentijs, & remissionibus, similiter minores prælati exempti, ut Abbas exemptus, Generalis alicuius Ordinis, Prouincialis, Prior, Gnardianus &c. nisi videlicet speciali Ordinis statuto à Pontifice approbato hac in parte restringantur sub his non comprehenduntur Abbatis, quæ si aliundè non habeant hanc

facul-

facultatem, ex hoc capite non possunt confessorium eligere: vnaqueque considerare debet, an vel ex consuetudine, vel alia particulari concessione possit confessorium eligere: quemadmodum etiam debet considerare, an ex aliquo ex his capitibus possit concedere suis monialibus potestatem eligendi confessorium, quia certum est iure id non posse, neque id posse ex officio, cum nullam habeant respectu huius fori iurisdictionem. quod si forte aliqui id faciant, scientibus ijs, qui habent ordinariam potestatem, illi censentur tacite dare iurisdictionem confessorio designato.

Notandum nomine Episcopi in hoc privilegio comprehendendi etiam confirmatum ante consecrationem, quia etiam is est, & vocatur Episcopus, comprehendendi etiam eum, qui solum habet ordinem Episcopalem, quamvis careat Episcopatu.

Secundò ex consuetudine possunt etiam confessorium eligere Cardinales, qui & suae familiae possunt providere de confessorio, cum sint quasi pastores suorum domesticorum, domestici Episcopi subduntur pastori proprio, vel Ecclesiae cathedralis, atque ita debent illi confiteri, vel ab eo deputato, vel alteri habenti privilegium excipiendi quorumcumque confessiones, nisi Episcopus licentiam eis concedat, ut possint alium eligere, idem dicendum de ijs, qui sunt in servitio summi Pontificis, nisi sint actu in eius familia.

Tertiò pastores possunt ex eadem consuetudine confessorium eligere, imò & simplices sacerdotes saeculares, ut docet Sotus dist. 18. q. 4. art. 2. §. Cardinales, Valentia disp. 7. q. 10. puncto 2. §. a consuetudine, Suarez disp. 27. sect. 3. num. 4. Vasquez q. 93. art. 1. dub. 4. num. 2. Sa verbo confessor num. 8. & alij.

Quartò supremi Principes, & reginae solent hac in parte habere amplissima privilegia, quae ad eorum domesticos non extenduntur.

Quintò habens domicilium in pluribus locis potest eligere quemlibet pastorem dictorum locorum, etiam dum alibi versatur, quia singuli sunt eius pastores, nec potestas, quae possunt eum absolvere, restringitur loco.

Sextò varij censent vagabundos, & eos qui nullibi habent domicilium, ut sunt mercenarii, qui ad diem suas operas locant, posse cuilibet expósito confiteri, ita sentit Victoria num. 155. qui idem docet de ijs, qui quarentes domicilium nondum statuerunt ubi sedem sint fixuri. tenet etiam Henriquez lib. 6. cap. 8. num. 5. littera K. Sa supra num. 2. Verius tamen est, quod hi teneantur confiteri parochio loci, in quo versantur, quod tradit Toletus lib. 3. cap. 13. §. verius casus, ratio est, quod cum hi nullibi fixam habeant habitationem, cessantur incolae loci, in quo moram faciunt, & proinde videantur subesse parochio loci, sicut alij incolae.

Confirm. tales omnino videntur teneri legibus locorum, per quae transeunt, quod etiam omnino verius est de peregrinis, ut Tolet. supra, & alij, quamvis Sa idem de ijs sentiat, quod de vagabundis.

Dico ergo peregrinos, & mercatores, & viatores alibi habentes domicilium posse confiteri pastori loci in quo inveniuntur, non tantum tempore praeccepti, sed etiam quando confessio est libera: quod etiam de studiosis dicendum, ut supra notavimus.

Aduerte 1. peregrinos olim solitos esse veniam petere à proprijs pastoribus, & simul etiam petere veniam alteri confitendi, quae consuetudo cessavit

remanente tacito consensu parochorum, & Episcoporum, ut possint confiteri parochio loci, in quo inveniuntur, imò Eugenius quartus dicitur viue vocis oraculo declarasse peregrinos &c. esse quasi incolae loci, in quo deprehenduntur, ex quo patet quod possint confiteri pastori loci, Eucharistiam ab eodem sumere, imò ab eodem ab soluta casibus in propria diocesi reservatis, si non sine reservati in locis, in quibus agunt, quamvis, Sotus supra §. eff. hic, quoad ultimum repugnet, sed nobiscum sentit Toletus supra, & plures alij. ratio est quod dici possit peregrinum subdi iuxta consuetudinem loci, in quo moratur.

Aduerte 2. dicta de peregrinis, viatoribus, intelligi si bona fide procedant: si enim iter instituant in fraudem, ut scilicet declinent iudicium proprii pastoris non possunt confiteri alteri aliis non habenti privilegium confessiones quorumvis excipiendi.

Circa dicta ulterius Aduerte 3. quod saecularis habens privilegium eligendi confessorium, ubi Trid. receptum est, non possit eligere non approbatum ab Episcopo, quia, ut infra dicitur, ut quis sit idoneus ad confessiones saecularium excipiendas ubi Trid. est receptum, requiritur ut habeat beneficium parochiale, vel sit ab Episcopo approbatus. idem dicendum de locis, quae in hoc se conformant Tridentino. 2. non possit eligere iure impeditum, v. g. excommunicatum, suspensum ab officio &c. & quidem de habente licentiam ab Episcopo, vel parochio patet, quia hi non possunt contra iuris dispositionem alicui concedere iurisdictionem, Pontifex vero quamvis possit, non potest prudenter presumi velle concedere contrarius, nisi de eo satis constet. 3. non videtur etiam Pontifex velle concedere facultatem confitendi iure impedito ab Episcopo, quia nisi constet de contrario, non videtur velle derogare prohibitioni Episcopi. idem potiori iure dicendum de pastore licentiam concedente, qui prohibitioni superioris non potest derogare: dicendum similiter de Episcopo huiusmodi veniam concedente.

Contra id quod diximus licere quibusdam ex consuetudine eligere confessorium, videtur facere cap. si Episcopus, de penitentis, & remissionibus in Episcopo. 6. ubi dicitur: Nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis propter superioris licentiam confessorium sibi eligere valeat &c.

Resp. non repugnare, quia decisio Canonis verò est, si agatur de nuda consuetudine, in praesenti autem negotio facultas fundatur in tacito superiorum consensu, quibus scilicet videntibus, & non repugnantibus confessor eligitur.

In fine huius dubij notanda constitutio Conc. Trid. sess. 25. cap. 10. de regularibus, ubi dicitur: Præter ordinarium autem confessorum (scilicet monialium) alius extraordinarius ab Episcopo, & alij superioribus, bis autem in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat, vi cuius constitutionis non excipitur ut in monasterijs exemptis confessorij offeratur simul ab Episcopo, & superioribus regularibus, sed ut Episcopus offerat in monasterijs sibi subditis: alij vero in exemptis, ut colligi potest ex initio capituli. nullo tamen modo possunt Abbates eum extraordinarium designare, nisi superior, cui subest monasterium, saltem tacite consentiat, sed est ipsorum praelatorum. posset tamen Episcopus offerre monialibus sibi non subiectis, si ea nulla ratione induci possent, ut cõfiteantur suis regularibus confessoribus, ut respondit congregatio.

53.

De Cardinalibus.

Domestici Episcopi subduntur pastori proprio, vel Ecclesiae Cathedralis.

54.

De sacerdotibus saecularibus. Sot. Valent. Suar. Vasq. Sa.

55.

De vagabundis.

Victor.

Henriq. Sa.

Tolet.

56.

nec tenebitur dare regularem, sed poterit assignare etiam facularem, ut eadem congregatio, item concessio non videtur restringenda ad unum tantum, cum favor Tridentini hoc modo esset valde diminutus, cum tamen quicquid, & conscientijs monialium velit consulere, idque satis patet ex praxi variorum locorum.

Aduerte moniales non impediri, quod minus possint confiteri ordinario confessario, si velint, ut indicat congregatio, & fauet ratio: quia non tenentur uti favore sibi oblato, cauendum tamen, ne confessarij ordinarij eas etiam indirectè adigant ad sibi confitendum, v. g. austerius cum illis agendo, quia id Tridentini scopo aduerfaretur.

D V B I V M VIII.

Virum propter pastoris malitiam vel ignorantiam liceat confiteri alteri absque eiusdem facultate?

QUÆRITUR an in prædictis casibus liceat instituire confessionem apud eum, qui alias neque ex ordinariâ, neque ex delegatâ potestate hoc Sacramentum poterat administrare: in quâ questione

Alij vniuersim affirmant, ita varij, qui plures casus congerunt, quibus id liceat propter malitiam pastoris, quorum sententiam censet non improbabilem Suarez disp. 27. sect. 2. num. 4. & in praxi securam.

Alij concedunt in casu ignorantie. Vtrique autem debent intelligi, quando nullus alius sacerdos est præsens, qui potestatem habeat saltem delegatam.

Alij absolute negant Vid. num. 145. & 146. Sotus dist. 18. q. 4. art. 2. §. dicendum ergo, & sequentibus, Suarez disp. cit. sect. 2. & 4. & alij.

Dico 1. non licet pœnitenti confiteri alteri propter pastoris malitiam. Probatur, malitia pastoris proprij non dat eam facultatem aliâs non habenti, cum neque pastor tribuat iurisdictionem, ut supponitur, neque ea tribuatur à iure, cum nullum tale ius existat, imò cap. omnis vtriusque, de pœnitentijs & remissionibus videatur repugnare, cum ibi dicatur: Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iussu de causa confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat à proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absolvere, vel ligare. neque dici potest Episcopum tunc dare facultatem, cum neque ex consuetudine, neque ex alio indicio appareat de huiusmodi tacitâ Episcopi concessione.

Confirm. 1. malitia pastoris non tribuit maiorem facultatem eligendi confessarium, quam mors eiusdem, vel excommunicatio, quibus casibus fideles non possunt pro arbitrio confessarium eligere.

Confirm. 2. altera sententia videtur præbere auiam eneruandi iurisdictionem Ecclesiasticam.

Petes an saltem non liceat eligere confessarium, si pastor nolit veniam concedere?

Resp. non licere.

Contrâ: pastor tenetur dare licentiam, ut suppono; venia autem debita, licet negata censetur concessa saltem ex tacitâ Pontificis concessione, alioquin multæ animæ propter alterius malitiam perirent.

Resp. pastorem debere dare huiusmodi licentiam saltem ex quadam æquitate: si tamen neget,

dico, non eo ipso haberi, unde nego minorem argumenti: nam ex cap. omnis vtriusque, patet quod venia debita negata non det alteri iurisdictionem; unde fit, ut non censetur haberi ex tacito Pontificis consensu, qui iuri non repugnat. neque est simile quod adferri potest ex cap. licet, de regularibus & transcurrentibus ad religionem, quia in cap. expressè conceditur facultas transeundi ad arctiorem ordinem veniâ à superiore petita, licet ab eodem non obtentâ. Ad id quod obijciatur de periculo animarum. Resp. fideles posse adire superiorem, vel privilegiatos, vel interdum posse confiteri pastori peccata, ex quorum noticia nullum imminet periculum, ne à pastore pertrahantur in peccatum, neque vllum imminet scandalum, denique si nihil horum fieri possit, concedo interdum homines propter alterius malitiam posse pati detrimentum animæ, ut patet in infante, qui propter aliorum malitiam moritur sine baptismo.

Notandum quod parochus non debeat se præbere difficilem in concedendâ licentiâ alteri confitendi, & possit eâ in re grauiter peccare, cum iurisdictionem habeat in bonum animarum, quod si subditus non possit pastori confiteri propter eius nequitiam, neque pastor velit concedere licentiam alium adeundi, non peccabit prætermittendo confessionem aliâs præceptam, potestque accedere ad Eucharistiam, conando bonâ fide contritionem elicere. Obiter etiam

Aduerte pastorem non tantum tempore præcepti, sed etiam extra illud tempus teneri suum subditum per se, vel alium audire, quia profectum suorum tenetur non impedire, præterea accipit stipendium pro officio præstando etiam extra casus necessitatis: non videtur tamen obligari ad id semper præstandum, si subditus sit nimis importunus, quia id esset nimis onerosum, & nullus suscipiendo pastoris officium censetur cum tanto onere se se particularibus obligare.

Dico 2. non licet etiam alteri confiteri propter ignorantiam pastoris, quia propter huiusmodi ignorantiam pastor non potest censi dare alteri iurisdictionem, neque aliunde eo casu acquiritur; non ex naturâ rei, neque ex iure diuino, ut constat.

Qui contrarium sentiunt dicunt iure humano, scilicet canone placuit, de pœnitentia dist. 6. vbi Urbanus secundus ita statuit: Placuit, ut deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad pœnitentiâ suscipere sine eius consensu, cui prius se commissi, nisi propter ignorantiam illius, cui pœnitens prius confessus est. Ita aliqui, qui propter rationis similitudinem idem censent de varijs alijs casibus, sed in primis in ijs quæ à lege positivâ dependent, non sumitur solidum argumentum ex rationis similitudine. unde alij melius censent in eo solo casu licere alteri confiteri absque parochi licentiâ, quod existiment in eo solo casu iure concessum. verum etiam eorum fundamentum videtur debile: nam canon citatus non agit de proprio pastore, sed tantum de sacerdote, cui pœnitens se commisit, videturque agere de pœnitentiâ publicâ olim visitatâ hoc sensu: cum aliquis se submisit alicui sacerdoti, & confessus est, non licet alteri pœnitentiam publicam à sacerdote iniunctam mutare, nisi error intercesserit ratione ignorantie prioris sacerdotis. videri potest Sotus supra §. ad textum, & Suarez sect. 2. cit. num. 21. & sequentibus, potestque textus optimè intelligi de iis sacerdotibus, qui aliâs eundem pœnitentem audire possunt in confessione.

DVBIVM

Cap. licet.

60.

Pastor habet iurisdictionem in bonum animarum.

61.

Conclus. 1. Non licet alteri confiteri ob ignorantiam pastoris.

Can. placuit.

DUBIVM IX.

De scientia necessaria sacerdoti ut exerceat munus excipieñdi confessiones.

62.

Scientia sacerdoti ex duplici capite est necessaria.

SCIENTIA necessaria est sacerdoti, vel ut is prudenter, & sine peccato fungatur suo munere, vel ut absolutio sit valida.

Quoad prius, sacerdos debet esse præditus eâ scientiâ, quæ requiritur ad ferendum prudens iudicium in hoc foro. unde necesse est, ut norit aliquo modo distinguere veniale, & mortale, 2. species peccatorum mortalium, 3. circumstantias mutantes speciem, saltem eas, quæ communius accidunt, 4. casus sibi reservados, 5. excommunicationes saltem communiores, 6. casus restitutionis.

Dico aliquo modo, quia non est necessaria omnino exacta cognitio peccatorum quoad differentiam specierum, & aliorum, quam habent pauci. adde sufficere posse aliquo modo in utramque partem dubitare, & alios consulere: quia id est aliquo modo moraliter scire. vbi

Adverte maiorem scientiam requiri in eo, qui solet excipere confessiones in locis, vbi multi & intricati casus occurrunt, quam in eo, qui solet faciliore confessiones excipere, similiter maiorem requiri in eo, qui audit sacerdotes, quam in eo qui audit sæculares, quia prior tenetur scire saltem communiores irregularitates, saltē dubitare num ea subint, ut etiam in hac parte possit se, & pœnitentem dirigere, denique ut confessarius non peccet exponendo se excipēdis confessionibus, in genere debet nosse casus, qui frequentius accidunt eo loco, vbi confessiones excipit. quia talis scientia habitualis requiritur, ut suo muneri satisfaciatur. Dico *habitualis*, quia non requiritur ut semper actū possit ferre iudicium an hic, & nunc casus qui recensetur, sit mortale, an verò veniale peccatum, quia frequenter etiam viri docti id nequeunt determinate iudicare.

64.

Potest etiam a peccato excusari si sit paratus uti aliorum auxilio, & consilio etiam pœnitentis. unde excipiens confessionem viri pii, & docti, qui potest ipsummet confessarium dirigere, non tenetur habere magnam doctrinam. eo tamen casu doctus tenetur confessarium instruere, si aduertat eum ignorare species peccatorum. non tamen videtur vllō modo probandum quod confessarius passim pœnitentes remitteret ad peritiores pro casibus difficilioribus: id enim esset ingens onus pœnitentibus imponere.

Caiet. Nauarr. Tolet. Valg.

Pro his videri potest Caiet. in summâ verbo *confessori necessari* num. 2. Nauarr. cap. 4. num. 8. & sequentibus. Toletus lib. 3. cap. 15. Valquez q. 95. art. 3. dub. 1.

65.

Requiritur etiam, ut sacerdos sciat quid sit necessarium ut pœnitens possit absolutionis beneficium recipere, 2. ut aliquâ polleat prudentiâ, ut etiam suum pœnitentem possit dirigere & instruere de remedijs ad fugienda peccata opportunis, 3. ut convenientem pœnitentiam possit iniungere, spectatâ gravitate & qualitate peccati, & conditione personæ pœnitentis, cum nec omnes iuveni similes pœnitentiæ, & aliud debeat præscribi auro, aliud periuro &c. aliud forti & robusto, aliud verò debili &c.

Quid requiratur ut valide absoluat.

Quoad alterâ dubij partem Respondeo ad hoc, ut sacerdos valide absoluat, requiritur, & sufficit

ut saltem cognoscat peccatum sub consularatione peccati. prior pars ab omnibus supponitur, & patet. quia nisi generalem rationem peccati possit percipere, non potest scire vtrum illi subijciatur materia sacramenti.

Confirm. non aliâ de causâ requiritur ut præter externum sonum verborum aliquo modo percipiat peccatum, & id quod profertur, quam ut peccatum aliquo modo cognoscat.

Posterior autem pars patet, quia in articulo mortis talis notitia sufficit ad valorem absolutionis, ergo ea ex se sufficit ad huiusmodi valorem. videtur etiam patere in eo, qui confitetur peccatum abstractum, cuius conditionem sacerdos plane ignorat, an scilicet sit veniale, an mortale, solum aduertens esse peccatum eo enim casu valide absolueret. si non requiratur maior notitia actualis ad valorem absolutionis; non potest solide requiri maior habitualis.enet Suarez disp. 28. sect. 2. num. 12.

Vnde dico quod si pœnitens tali sacerdoti bonâ fide integrè sit confessus sua peccata quoad numerum, & speciem, non teneatur confessionem repetere, quia verè totam suam causam exposuit, ut in se habuit, & prout in hoc foro requiritur, & contrarium innumeros scrupulos pareret, dum quis perpetuò esset anxius, num confessarius intellexit gravitatem, & speciem peccati.

Confir. si confessio deberet repeti eò quod confessarius non percepisset conditionem peccati, sed sterisset in generali ratione, eadem deberet repeti etiam quoad ea peccata, quæ fortè minus percepisset, quod certè ingens tormentum adferret conscientijs: sic enim unusquisque poterit dubitare, num confessarius benè intellexit casum, præsertim si postmodum aduertat illum non esse ita doctum, quod laqueum conscientijs iniicit. dixi, *bonâ fide*, quia si quis malâ fide procedat, quærens vel potens advertere confessarium esse ignarum, & qui causam non possit diiudicare, tenetur confessiones repetere. cum enim in eo mortaliter peccaverit, non est legitimè dispositus ad absolutionem recipiendam. qui tamen confitetur in eo loco expostis, non facit sibi debet scrupulum hac in parte facere.

Dices, Trid. sess. 14. cap. 5. ex naturâ iudicij docet pœnitentem debere omnia peccata confiteri quoad speciem & numerum, quia sacerdos incognitâ causâ hoc iudicium exercere non potest.

Resp. concedendo, & dico quod requiritur quidem, ut quantum est ex parte pœnitentis, causâ ita exponatur, ut confessarius, quantum est ex eo capite, possit causam perfectè cognoscere, si tamen propter aliquem defectum ex parte suâ non ita cognoscat specificè, sed solum in ratione offensæ Dei, id non obstat valori absolutionis.

Confirm. omnium sententiâ pœnitens tenetur circumstantias mutantes speciem recensere: quarum tamen ignorantia in confessario non vitiat absolutionem, ergo ad valorem absolutionis sufficit, ut pœnitens, quantum est ex parte suâ totam causam aperiat, ut scilicet, quantum est ex confessione, confessarius eam possit cognoscere, & id solum vult Concilium.